EXEMPLAR
OPTIMI PATRIÆ CIVIS,
&
VIGILANTISSIMI ECCLESIÆ PRÆSVLIS,

Quod in Illustrissimo olim

IACOBO ZADZIK,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCE SEVERIÆ

spectandum proposuit

M. ANDREAS KVCHARSKI, *Collega Maior, Regius Professor, ad S. Adalbertum in Circulo Cracouien. Præpositus,*

DVM PIIS MANIBVS

Cancellarij sui digniss. Vniuersus ordo Academicus ad Ædes S. Annæ parentaret,

Anno Reparatæ Salutis M. DC. XLII. Tertio Nonas Maij.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.

EGregia res eſt, mortem condiſcere. Superuacuum forſitan putas, id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? Hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, ſeruire dedidicit.

Seneca Epiſtola XXVI. ad Lucilium.

Jllustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Primati, atq; primo Regni Poloniæ PRINCIPI;

Perillustribus & Admodum RR. DD.

D. IOANNI TARNOWSKI,

ARCHIDIACONO CRACOVIENSI, VLADISLAVIENSI, VARSOVIENSI CANONICO;

D. IOANNI ROMISZOWSKI,

PRÆPOSITO ŁASCENSI, Scholastico Cracouiensi, Gnesnensi, Lanciciensi, CANONICO;

D. LVCÆ ZDROIOWSKI,

CRACOVIENSI & SANDOMIRIENSI CANONICO;

D. ALEXANDRO BRZESKI,
ARCHIDIACONO ZAVICHOSTEN.
Canonico Cracouien. Scholast. Sandomirien. S. R. M. Secretario;

Supremæ voluntatis
Illustrissimi olim

IACOBI ZADZIK,
EPISCOPI CRACOVIENSIS DVCIS SEVERIÆ,
Executoribus;

M. ANDREAS KVCHARSKI, Collega Maior, Regius Professor, S. & P.

D*Ebebatur eximiæ in Academiam, & Diuum Patrem nostrum* IOANNEM CANTIVM, *Illustrissimi olim* Iacobi Zadzik Episcopi Cracouiensis *munificentiæ, Illustrissime ac Reuerendissime Princeps, Perillustres & Admod. RR. DD. vt funus suum, non publico solum prosequeremur luctu; verumetiam priuatum tam benefico*

Dotatori

Dotatori erigeremus monumentum. Exhibuit vnusquisq; nostrũ, in persoluendo honore supremo, pijs Manibus Illustrissimi Antistitis, eum affectum, quem & pietas, in optimum patriæ Ciuem, & deuotio in vigilãtissimum Ecclesiæ Dei Pastorem, & gratitudo in liberalissimum Mecænatem requirebat. Mihi inter alios, voluntate Perillust. & Adm. Rndi D. Adami Opatouij S. Th. D. & Profess. Canon. Cracouień. Rectoris interea Vniuersitatis, negotium fuit datum, vt pro tenuitate ingenij mei, res gestas Illustrissimi Antistitis, in celeberrimo ad Ædes D. Annæ conuẽtu Academico, adumbrarem. Quod cùm non sine metu, dùm & locj ipsius amplitudo, & frequens doctissimorum virorum corona, animo meo obuersaretur, recepissem, elegissemq; potiùs mediocris meæ existimationis iacturam pati, quàm aliquo debitæ obseruantiæ defectu laborare: factum est benignitate Dei Opt. Max. vt hæc qualiscunq; opera mea, viris quibusdam grauissimis, visa non sit adeò indigna, quæ luci publicæ traderetur. Obtemperaui eorum iudicio, vosq; supremæ voluntatis Illustrissimi Antistitis Executores, potissimum elegi, sub quorum amplissimis nominibus, breuis hæc promeritorum commemoratio, tutissimè quiesceret. Ingratam

 vobis

vobis fore non arbitror, vt pote, in quos ille; & dum superstes esset, propẽsissimo affectu ferebatur; & è vita discessurus aptissimos iudicauit, à quibus facultates diuino munere sibi concessæ, in Ecclesias, Cœnobia, pauperes, aliosq; vsus piissimos erogarentur. Perspexit in vnoquoq; vestrum conscientiæ integritatem, fidem, candorem, in negotiis absq; procrastinatione expediendis celeritatem, & industriam, aliasq; innumeras virtutes præclaras, quibus eos illustres fieri oportere censebat, ad quos munus amplioris peculij distribuendi, & ordinationis iuxta præscriptũ piæ voluntatis faciendæ, fuisset deuolutum. Excipietis igitur animis propensissimis, hanc quanquam minùs exactè formatam gestorum tanti Præsulis delineationem: meq; & Altricem ingeniorum Academiam, eo quo soletis patrocinio, prosequi non desistetis. Dat. in Collegio Maiori, tertio Idus Maj. Anno Dñi. 1642.

EXEM-

EXEMPLAR

OPTIMI PATRIÆ CIVIS,

&

VIGILANTISSIMI ECCLESIÆ PRAESVLIS.

COnuenimus frequentes in hoc sacratum D. Annæ templum, *Magnifice D. Rector, Perillustres & Adm. RR. DD. Clarissimi, Excellentissimi, Venerabiles omnium Facultatum Doctores & Professores, Illustres, Magnifici, Generosi, vestrisq́ titulis cæteri Auditores Ornatissimi*: diem hanc (tametsi toti Academiæ funestam & acerbam) memoriæ Illustrissimi Cancellarij nostri, IACOBI ZADZIK, consecraturi: cui hisce diebus, tanquam Ciui Optimo, Patriæ parenti meritissimo, Antistiti integerrimo, Ecclesia Cathedralis, totaq; Diœcesis Cracouień. imò cun-

ctus

ctus Senatus, & Reſp. Polona parentauit, debitaq; pietate vigilantiſſ. Paſtoris corpus exanime, humeris extulit officioſis: atq; adeò in vnius Senatoris fune-re, tam in templis, quàm in vrbe, quàm in Acade-mia, miſerrimam ſuam deplorauit orbitatem. At ſe-mel tanto Principi, tanto patrono, tanto paſtori Vobis Magnifice D. Rector, Profeſſores mæſtiſſimi, quibus illius obitus perquàm eſt luctuoſus, viſum non fuit ſatis? neq; laudationis obſequium ſemel impendiſſe ſufficiet, cuius merita clariſſima, virtutes eximiæ, beneficia maxima, apud omnem poſteri-tatem vitam ſpirabunt, & ſperabunt, & obtinebunt immortalem. Plura pijs Manibus, plura pietati, plura Religioni, cuius typum expreſſum nobis reli-quit, plura memoria ſæculorum dignis beneficen-tiæ muneribus debemus. Æquum eſt enim, vt quibus iuſtiſſimum honorem in vita tribuere tene-bamur; illis etiam mortuis, pro beneficijs receptis, omnem grati animi ſignificationem perſoluamus. Dum igitur Profeſſores mæſtiſſimi juſta hæc facitis, & ſolennẽ hoc in loco honorarij tumuli pompam adornatis, ſalſoq; lacrymarum imbre funus irri-gatis luctuoſum: perſuaſit eorum quorum apud me plurimum

plurimum valet authoritas, vt aliquid verborum supremæ inpenderem pietati. Suſcepi fateor munus & onus Æthna grauiùs; ſuſcepi plenum periculoſæ aleæ laborem; cum nulla ſit tanta ingenij felicitas, nulla tanta vis facultaſq; dicendi, quæ virtutes ampliſſimas, totoq; in Septētrione, imò & in orbe Christiano vniuerſo celeberrimas, Senatoris Optimi, Illuſtriſſimi IACOBI ZADZIK, ſatis luculenter eloquatur. Verùm enimuerò duo duntaxat ſunt, quæ me ſolantur; quod & apud eos dicturus ſim, quorum vnuſquiſq;, cum ſit in ſuo ordine eloquentiſſimus, pariterque prudentiſſimus; non in me phaleratam dictionem, quam funebris reſpuit dolor, ſed ſimplicem orationis candorem requiſiuerit: & in eo loco, qui ad altare D. Patris noſtri IOANNIS CANTII, eximiam Illuſtriſſimi Cancellarij beneficentiam recognoſcit, & quaſi animata eloquentia, ipſius defuncti Mecænatis merita extollit, apud omnem poſteritatem celebranda. Et cum infinitus propè numerus promeritorum Illuſtriſſimi Antiſtitis reperiatur; tria ego potiſſimum admirabor: oſtendamque in hoc conſeſſu veſtro longè florentiſſimo, quali Reſpub. Ciue, Eccleſia

Paſtore, Academia Patrono & Mecænate, paucis ante diebus ſit orbata; vt vel hac ſanè exili & adumbratâ præſtantiſſimarum eius virtutum commemoratione, nonnihil de dolore, quo affecti eſtis maximo, ſubtrahatur, & mens iugi atq; continuâ acerbitatum mole depreſſa, grata iucundaq; amænitate releuetur. Rem quantæ difficultatis aggreſſus ſim, etiam me tacente, quiuis aduertere poteſt. Proinde veſtræ humanitatis beneuolentiæq; fuerit, eam non tam ex tenuitate ingenij mei, quam potiùs ipſius magnitudine æſtimare; neque quid dictum ſit, ſed quid dicendum fuerat perpetuò cogitare.

Bonum & conſtantem in re communi promouendâ Ciuem, quicunq; noſſe deſiderat, in labores illius, ſtudia, contentiones, etiam ipſas, ſi fieri poteſt cogitationes, diligenter introſpiciat, eſt neceſſe: ex his enim ceu lineamentis, & viuis coloribus, Catilinane ſit, an Cicero, Sylla an Marius, Verres an Cæcilius, non erit adeò operoſum diiudicare. Nam ſicut ex vngue leo, digito Hercules, linea ducta Apelles, facile cognoſci poteſt: ita ex præclaris in propagando communi bono conatibus, pietas Ciuium in Patriam ſingularis, clarè luculenterq; innoteſcit:

quos si quispiam adhibere neglexerit, dubium est, an quidquam inter illum, & turbam ignobilem, discriminis sit futurum. Et licet familiare sit innumeris, tam excelsum eximiumq; nomen sibi arrogare, & plenis, quod aiunt buccis, illud frequenter ingeminare, Ciuis Polonus sum: nihilominùs tamen, quàm procul pleriq;, à tam sublimis rei possessione absint, propter summam, in rebus intimiùs cognoscendis hebetudinem, & intollerabilem fastum, aduertere non possunt. Nesciunt insani (liceat mihi illos cum Cicerone, quamuis in re dispari alloqui) nesciunt, quam arduum munus, & officium Ciuis boni sit; nomen tantùm Ciuium sibi vsurpant, quid autem illud sit, penitus ignorant. Notauit hanc olim in suis popularibus, Parens Romanæ eloquentiæ Cicero insaniã: quâ ne in dies maiori laborarẽt, exẽplar illis boni Patriæ Ciuis, sparsim in suis monumentis, effingi curauit: vt visâ decenti, ex quibus coalesceret lineamentorum concinnitate, atq; symmetria, quantum sibi, ad vsurpandam tanti nominis gloriam deesset, cogitarent, & adscito præstanti Politicarum virtutum, per continuas actiones honestas, in suum consortium cætu, quibusuis viris,

 optimè

optimè de Repub. meritis, efficerentur clariores. Attendite paulisper quæſo, quibus ille notis, ſparſim expreſſis, bonum à pernicioſo Ciue, diſcerni voluerit, vt quid tandem de Illuſtriſſimo Antiſtite noſtro, IACOBO ZADZIK, ſentiendum ſit, iudicare valeatis. Audaces inquit ille, & mali, & pernicioſi Ciues putantur, qui incitant populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcant mentes imperitorum, aut qui fortes, & claros viros, & de Repub. benè meritos, in aliquam vocant inuidiam. Qui verò Patriam ſuam diligunt, bonos mores ſaluos incolumeſq́; fieri deſiderant, periculum non timent, propoſita inuidiâ, morte, nihilo ſegniùs Rempublicam defendunt, æquo & pari iure, cum ſuis Ciuibus viuunt, ij boni ciues ſemper habendi ſunt. An non hæc, in Illuſtriſſimo Antiſtite noſtro, boni Patriæ Ciuis relucent veſtigia, non preſſa leuiter ad exigui tẽporis prædicationem, ſed fixa ad memoriam nominis illius ſempiternam. Siue enim conſtantem in eo caritatem patriæ conſideres, Themiſtocle Athenienſi, & Decijs Romanorũ, ſuperior eſt; Siue ſingularem in conſeruanda ſalute Conciuium ſuorum affectum ſpectes, Lucullo & Scipioni non ceſſit.

Siue

Siue imperterritũ in ſubeundis pro integritate Reip. laboribus, & periculis animum examines, Codrum & Thraſybulum æmulatus fuiſſe videtur; Siue demum in iure dicendo æquitatem, in defendendâ rerum iudicatarum veritate conſtantiam, in ſententia ferenda authoritatem, in conſilio dubijs Reipub. caſibus ſubminiſtrando, grauitatem perpẽdas, Ariſtidem, Lycurgum, Neſtorem, Catonem, credideris in Polonia reuixiſſe. Sed ne quiſpiam hæc, quorum ſumma tantum tetigi capita, Illuſtriſſimo Antiſtiti, à me paulò liberiùs affiсta eſſe opinetur, conſideret velim, quibus ille initijs atq; gradibus, adeò copioſam & amplam ciuilium virtutum poſſeſſionem adierit, vt earum pulchritudine illectus, & me turpi aſſentationis vitio abſoluat, & quid ſibi quoq; faciendum ſit, ſeriò non perfunctoriè ſecum incipiat reputare. Atque hic mihi latiſsimum video aperiri campum, excurrendi in laudes, & promerita, antiquiſſimæ Korabitarum Proſapiæ, ex qua maiores Illuſtriſſimi Antiſtitis, ceu vberrimo quodam fortiſſimorum Ciuium ſolo, prodierunt. Sed non patiar eo in loco, mediocritatem meam periclitari, qui præſtanti ingenio viros, ſummâ copiâ, & facul-

tate dicendi, vix vnquam pares futuros arbitror. Illud tantùm quasi per transennam aspiciens, non possum strictim non attingere, Illustrissimum Antistitem, nobilissimo sanguine, clarissimisq; parentibus fuisse procreatum. Quod cum sibi parùm ad vitam olim cum dignitate transigendam, profuturum cognouisset, extemplò impensiùs cæpit cogitare, vt prima illa vitæ rudimenta, necdùm satis confirmatum viuendi tyrocinium, illis addiceret occupationibus, in quibus semina quædam, Ecclesiæ & Reipublicæ probè administrandæ, viserentur. Hinc factum fuit, vt quātùm cæteri tēporis, corpori molliusculè curando, quantùm festis diebus ludorum celebrandis, quantùm intempestiuis conuiuiis, quantùm voluptatibus, aleæ, pilæ, somno, concederent; tantùm ille impertiret tractandis honestissimis literarum disciplinis. Testis est suarum contentionum inclyta mater Academia, quæ vt antea mirificè lætabatur, fætum suum, eo dignitatis prouectum esse, vnde non exiguum, rebus suis vlteriùs promouendis, poterat sperare subsidium: ita nunc grauiter acerbèque dolet, quod sibi tanto bono diutiùs frui non licuisset. Testes exteræ nationes, quarum mores,

res,

res, instituta, leges, conſuetudines, non curioſo dun-
taxat ad oblectationē oculo circumſpexit, ſed men-
te animoq; ſagaci, ad vſum & neceſſitatem Reipub.
ita perluſtrauit; vt nihil planè ibidem reperiretur,
vnde vel Ciuis boni exempla, aut hominis ſolidè
eruditi præcepta deſumi poſſent, quod non pri-
mum exploraret prudentiâ, deinde imitatione, &
ſummâ animi contentione eſſet conſectatus. Nimi-
rum hoc ipſo gentibus manifeſtum fieri voluit, po-
pulo Septentrionem inhabitanti, modo labor &
conatus adſit, nihil prorsùs deeſſe; ad theſauros in-
æſtimabiles, quà virtutum, quà ſcientiarum, com-
parandos. Exiſtimabant antea non pauci, indo-
lem Sarmatarum, pertractandis honeſtiſſimis lite-
rarum diſciplinis parùm idoneam eſſe: barbariei &
hebetudinis eam paſſim inſimulabāt: Muſas Septē-
trionem ingredi tentantes, in finibus ipſis, frigoribus
ſempiternis obriguiſſe, hæſiſſe, conſtitiſſe; ſummâ
cum nominis noſtri ignominia, clamitabant. At
vbi mirificam, Illuſtriſſimi Antiſtitis noſtri, animi in-
duſtriam, rerum multarum, & magnarum ſolertem
intelligentiam, in ætate nondum conſilio, aut iudi-
cio maturiore corroboratâ propè ſenilem matu-
ritatem

ritatem conſpexerunt: fateri vel inuiti coacti ſunt, etiam ſub aſpero cælo, amæniſſimos eruditionis floſculos, naſci fouerique. Quare vindicato egregijs dotibus ſuis, à tam graui exterorum calumnia Septẽtrione: adſcripto per aſſiduos labores in ſuum vſum, virtutum bonarumq; artium, egregio comitatu, feliciter in patrios lares, cum voluptate & ſummâ omnium expectatione regreſſus eſt. Atque vt ſua indoles, & perſpicua dexteritatis, in rebus ſcitè obeundis, apud exteros iacta fundamẽta, in omnes Reipublicæ partes, diffunderentur, Aulæ Sereniſſimi SIGIGISMVNDI III. ampliſſimo exhibendæ induſtriæ theatro, adſcribi curauit. Non poterant ibi longo tempore, præſtantiſſimæ dotes ſuæ, in obſcuro latere, ſed fulgoris inſtar, ſummorum quorumuis in Repub. Virorum, oculorum mentis aciem, perſtrinxerunt. Suſpexit inprimis Illuſtriſſ. Antiſtitis ingenium, ad omnia præclara natum, inſigni prudentiâ & pietate in patriam, MATTHIAS de Buzenin PSTROKONSKI, Supremus olim Regni Cancellarius, Epiſcopus Vladiſlauien. cumq; maiore ſolito beneuolentiâ complexus, dignum ſemper iudicauit, quem Rex, in partem curarum

ſuarum

starum quàmprimùm aduocaret. Admirati sunt, omnium sæculorum, omnisq; memoriæ maxima florentissimi istius Regni ornamēta, GEBICIVS, TILICIVS, KRISCIVS, LESCZINIVS, genuinum suæ modestiæ, humanitatis, candoris, sapientiæ, negotiorum facilè gerendorum specimen; quorum posteà frequenti, suæ dexteritatis in agendo apud principē commemoratione, perfectum est, vt propensiori in Illustrissimū Antistitem ferretur affectu; & in expediendis difficillimis Reip. causis, suâ operâ vteretur. Respondit quouis in loco opinioni de se præconceptæ Illustrissimus Antistes; Spartam quamcunque nactus fuerat, ita adornauit, vt in eâ penitus nihil desideraretur, quod & ad authoritatem mandantis tuendam, & ad prudentiam exequentis declarandam pertineret. Quare non est passus Serenissimus Princeps exploratam Optimi Ciuis, in commissionibus periculosissimis prudentiam, in negotijs difficillimis dexteritatem, in causis dubijs & obscuris ingenium, in reconditis & confusis solertiam, in ambiguis & perplexis sedulitatem, inferioribus honorum subsellijs diutiùs detineri: exponit tanquam non degenerem aquilæ pul-

 lum,

lum, ad ſplendidiores radios lucis publicæ: intimioris conſilij arbitrum, quem nos vocamus Magnum Secretarium creat: mox licet ſublimi, at perquàm laborioſæ Procancellariatus, tandem Cancellariatus, qui ſe non longo excipiebant interuallo, præficit gubernationi. Palmæ ſimilem vidiſſetis tunc Illuſtriſsimum Antiſtitem; qui quò grauiores, pro amplificando communi bono ſufferebat labores, eò erectiorem firmioremq; ſe fieri, ſentiebat, ad ea conficiēda, ex quibus cultus diuini propagatio, ampliſsimi Poloniarum Regni fama, nominis ſui immortale decus ſequeretur. Neſcit enim animus, labori innutritus quieſcere, neſcit, ſed quæuis ardua & periculoſa aggreditur; nec languere poteſt, vbi honeſtæ occaſiones, illius exercendi atq; exerendi, fuerint oblatæ. Iam verò quæ commodior occaſio Illuſtriſsimo Antiſtiti poterat obtingere, declarandi indolem ſibi à Deo Opt. Maximo, non mollis Euryſchæi, ſed laborioſi Herculis, non otio diffluentis Vatiæ Seruilij, ſed perpetuo intenti operi Scipionis, conceſſam eſſe, quàm in vtroq; paulò ſuperiùs nominato magiſtratu: in quo ſudandum erat pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ,

ſubeun-

ſubeundæ ſæpè pro Repub. tempeſtates, cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentioribus dimicandum. Quare tàm ſublimi officio, voluntate ſapientiſsimi Regis, conſenſu prudentiſsimi Senatus, omnium ordinum ſummo cum applauſu, Illuſtriſſimus Antiſtes noſter decoratus; quid non egit, quod ad communem ſpectaret vtilitatem; quod prætermiſit negotium, ſiue ſago, ſiue toga gerendum, cui promptam ac expeditam non admoueret manum; quod tempus elabi paſſus eſt, quo in cauſas innocentium non introſpiceret, in flagitioſos non animaduerteret, bona per vim & immoderatam habendi cupditatem erepta, ab iniuſtis poſſeſſoribus non vindicaret. Lux quædam melioris fortunæ, hominibus calamitoſis oblata videbatur, poſtquam intellexerunt Illuſtriſſimum Antiſtitem, eò omnes conatus ſuos referre velle, vt iudiciorum vi & grauitate, ſi diminuta fuiſſet reuocatâ, infamiâ ac inuidiâ eorundem remotâ, ſpe corrumpendi conſilij præciſa, luculenter doceret, nihil magis in foro vigere ſe Cancellario, quam iuſtitiam; æquitatemq; in ſuis ſubſellijs, ſine vllis præmijs quēquam obtinere, iniquitatem verò nulla vi pecuniæ,

nullo auro etiam in vnum ex omnibus Gazis congesto, emere posse. Neq; eos spes vana delusit: nam breui temporis spatio vix interiecto, afflictos recreauit, sceleratos compressit, licentiosos partim rigore legum, partim innatâ benignitate, in orbitam probitatis reduxit. Hic ego summam prudentiam, humanitati & mansuetudini arctissimo nexu consociatam, Illustrissimi Antistitis, quâ in rescindendis litibus, & atrocissimis exulceratorum animorum odijs vsus est, licet cuperē, non possum tacitus praeterire: ne id quod in Optimo Patriae Ciue, vt rarum ita summum est, à me qui caetera strictim commemoraturus sum, praetermissum esse videatur. Solenne & vsitatum fuit Illustrissimo Antistiti, quoties ad suum Tribunal, grauiores tam potentiorū quàm inferiorum deuoluerentur causae, eas non statim ad rigorem legum, strepitumque iudiciorum vocare, priusquàm benignitate eorum animos explorasset: non statim seueriore iudicis decreto cōcludere; donec priùs flexanimam eloquentiae suae ad eos curandos medellam admouisset. Quo in negotio, quam semper felix extiterit, eos omnes appello, quos ille sine fastu, sine insolentiâ, sine supercilio, ad amicabile

bile

bile colloquium admittebat; quos suo patrocinio, è dubio & periculoso litium salo ereptos, in trãquillissimo optatissimæ quietis fortunarumq́; suarum portu collocauit. Poterat illud sine vllo iactantiæ vitio, ex hac molestiarum plena decedens vita pronuntiare, quod animam agentem de se Periclem, Plutarchus dixisse fertur: neminem sua operâ, pullam vestem vnquam sumpsisse. Nam siue ad correctionem licentiosorum descendendum erat, irasci quam nocere honestiùs putabat; Siue animaduertendum seueriùs in delinquentes, vocè potiùs acerbiori, & seueriori oculorum aspectu, eosdem potiùs quàm pæna coercebat. O præclarum Ciuis optimi in administrandâ iustitiâ modum? O egregiam retinendorum in suo officio Ciuium rationem; ita omnia dextrè suauiterq́ue peragere, vt illi quos sententiæ rigor vrgeret, æqui pacatiq́; dimitterentur; ita omnia scitè attemperare, vt cum gratiæ causa nihil fieret, omnia tamen grata haberentur. Magna hæc sunt & firma satis, etiam vestro assensu tacito, in Illustrissimo Antistite, boni Patriæ Ciuis argumenta, talia tamen, vt in tutella & patrocinio dicendorum conquiescant. Nam nisi bonus Patriæ Ciuis, susce-

pro gerendæ Reipublicæ negotio, securitati Ciuium prospicere, impendentia regno pericula amouere, exorientes tumultus grauiores sedare, secretiora hostium consilia perscrutari sciat, demùm animo promptο & parato sit, ad vitam pro suis ciuibus profundendam; etiamsi nescio quibus iustitiæ, benignitatis, affabilitatis, prudentiæ, radijs colluceat, non est tantoperè cur Ciuis boni nomine glorietur? Et sago, & toga illustrem eum fieri oportere sapientissimi Rerumpublicarum censores existimant, quicunque amplissimo Ciuium bonorum catalogo, virtute & non emendicato à fumosis imaginibus fultus præsidio, adnumerari contendit: ne & pacis tempore, submouendis exorientib⁹, internarum dissensionum procellis consiliũ desit, & excitato tumultu bellico prudens consiliarius, rerumq; gerendarum gnarus moderator accersiri cogatur. Gemino hoc Ciuis boni insigni, Illustrissimum Antistitem, cõspicuum fuisse, ille tantum negabit, cui grauissimorum periculorum, quibus se Cancellario Respublica fuit exposita non subit recordatio: in quibus ita se gessit, vt perspicacis Patriæ Ciuis munia obire *destiterit* nunquam. An potest màgis formidolosum accidere

dere tempus Patriæ, atq; illud, quod nostris vulgò dici soletInterregnum;quo & finitimorum hostium grauiores contra nos inualescunt machinationes, & internis Ciuium dissensionibus, Vniuersæ Reip. tranquillitas conuelli, deq; suo statu dimoueri consueuit. Turbauerat aliquantisper, lugubris Reipub. facies, Illustrissimum Antistitem nostrum; non tamen quidquam de innatâ erga se caritate, & vsitata diligentia detraxit: Nam quantò maioribus eandem, tàm intra, quàm extra, implicari videbat difficultatibus, tantò impensiùs laborabat, in cognoscendis hostium consilijs, muniendis præsidio limitibus, adiungendis finitimorum populorum animis, supprimendis inter ciues simultatum fomitib9, procurandisq; omnibus alijs, quæ ad retinendam integritatem publicam spectarent. Non defuit tàm salutaribus consilijs atque contentionibus, supremi orbis Monarchæ adiutorium: sublatæ breui temporis spatio, inter dissidentes in religione controuersiæ: extincta inter gentes, non solum locis inter se dissitas, sed etiam moribus perquàm dissimiles, in ampliandis, vel restringendis libertatibus suis concertatio: reddita pax & tranquillitas vniuersis: Sere-

nissimus

nissimusq; VLADISLAVS IV. vnanimi omniũ consensu & acclamatione Rex Poloniæ est renunciatus. Credidisset nonnemo felicem & votis omnium expetitam, Serenissimi Principis inaugurationem, laboribus Illustrissimi Antistitis finem allaturam: recessuras aduentu tanti boni, mordaces & sanguisugas curas: myriadem molestiarum se adinuicem subsequentium procul abituram. Sed aliter fatis visum est: vix enim aliquid virium, graui & periculosâ, sub tempus Comitiorum felicis Coronationis infirmitate attritarum, Illustrissimus Antistes, collegit: antequàm integrè quod amissum esset recuperauit: subitò fæda illa & formidanda Moschouiticorum armorũ in Patriam incumbens flamma exarsit, suæq; magnitudini & sapientiæ explicandæ occasionem dedit. Quid tum animi censetis fuisse Illustrissimo Antistiti? excusationes forsan opposuisse debilioris valetudinis, quominùs iter longinquum cum Serenissimo Rege susciperet? nequaquam Auditores. Languebat præ nimiâ imbecillitate corpus; at animus summo in Patriam amore æstuabat, neq; patiebatur se quiescẽte, eum fluctib' hostilis ferocitatis opponi, in cuius salute omnium

Ciuium

Ciuium ſalus verteretur. Verè ſæuus eſt amor, illorumq́; rationibus inimicus, quorum animos vrit: his verò benignus & fructuoſus, qui nos ſibi eo deuinctos habent. Iuit promptus & alacer cum Sereniſſimo Principe, debili licet corpore, at animo côtra quaſuis hoſtium machinationes inſuperabili, Illuſtriſſimus Antiſtes: non recuſauit inſtar alterius Seruij Sulpicij, quominus etiam in valetudine nondum ſatis confirmatâ, ſi quam Reipublicæ opem ferre poſſet, experiretur. Non illum imbecillitas virium, non longitudo itineris, non aſperitas viarū, non imminens hyemis ſæuitia, non paucitas exercitus noſtri retardauit, vt præſtò adeſſet ſuâ operâ, fide, conſilio, Sereniſſimo Regi, ad exarmandos ſcelere nefario hoſtium animos, pænasq́; violati fæderis, & confractæ amicitiæ depoſcendas. Maluit vitam aperto mortis periculo exponere, quàm vel minimam exiſtimationis, deſerto recens inaugurato Principe, apud conciues ſuos iacturam pati. Nec abſque ſingulari Dei Optimi Max. prouidentiâ factum eſt, quod inter alios non minùs authoritate, quàm prudentiâ inſignes viros, etiam Illuſtriſſimus Antiſtes, ſe comitem difficultatum, laborum, peri-

culorumq; Serenissimo Principi adiunxerit: quicquid enim paucitati fortissimorũ militum, in compellendis ad deditionem sinè cæde hostium animis defuit, id facũdia & melle dulcior Illustrissimi Antistitis oratio suppleuit. Pendebat ab ore illius ex varijs contra nos gentib⁹ collectus Moschorum exercitus, & latibulis quibus immori metu subsequentis infamiæ decreuerat relictis, supplex à victore Clementissimo veniam est precatus. O incredibilem eloquentiæ ZADZICIANÆ potentiam? O victoriam & ipsis hostibus salutarem, & nostræ genti perquàm gloriosam? Circumferant alij prudentissimi ad Troiam Nestoris consilium: deprædicent Cyneæ in subiugandis Pyrrho populis eloquentiam; extollant cælotenus in excitandis ad resistendum hosti Atheniensium animis, summam in dicendo vim Demosthenis. An non omnes Illustrissimus Antistes noster multis post se relinquit passibus; qui sine ferro, sine sanguine, sine cæde, non modo hostiles ad Smolenscum compescuit acies; sed etiam sospes & incolumis redux, excitatos post quinquenniũ grauissimos in Prussia tumultus, consilio compressit sedauitq;, & propositis antè oculos

maximis

maximis vtriusq; gentis incommodis, hostem feli-
cioribus in Imperio successibus inflatum, & non-
nisi pugnas atque cædes spirantem, ad mitiora pacis
stabiliendæ consilia reuocauit; neque inde excessit,
donec hostis Prouinciam, tot annorum spatio ve-
xatam, arces dolo & fraude possessas, vrbes & oppi-
da contra omne ius fasq; erepta, restituisset. O quàm
ingenti amplissimum hoc regnum cęsetis perfusum
fuisse lætitiâ Auditores Humanissimi, postquam
multorum sermonibus percrebuisset, hostem è suis
finibus excessisse; paceq; studio & opera Illustrissimi
Antistitis confirmatâ, Prussiam imò vniuersam Po-
loniam, ex assiduis direptionibus, lanienis, cædibus,
tandem aliquando respirasse. Equidem vox mihi,
latera, verba non sufficerent; si commemorare vel-
lem, quàm amæno vultu, serenâ fronte, toto corpo-
re ad hilaritatem composito, Serenissimus Princeps,
Senatus frequens, vniuersus equester ordo, redeun-
tem Illustrissimum Antistitem nostrum exceperit:
quam copiosas gratiarum actiones instituerit, ob la-
bores retinendæ tranquillitatis publicæ gratia susce-
ptos. Dignum quisque existimabat, vt quampri-
mum tàm egregium conseruatæ Reipub. studium,

 aliquâ

aliquâ ſublimi & excelsâ honoris collatione à Sereniſſimo Principe decoraretur; Nec quidquam moratus eſt tam votorum communium, quam inſpirationis diuinæ obſeruantiſſimus Princeps: honorificentiſſimâ Cracouienſi Epiſcopâ Illuſtriſſimum Antiſtitem exornat: in eminentiori, tàm Reipub. quàm Eccleſiæ Dei ſpecula collocat; ne & Ciues ſuâ operâ conſeruati, à finitimis hoſtibus infeſtentur, & grex Dominicus, à nefarijs infernalium ſedium prædonibus, iacturam æternæ ſalutis patiatur. Obſequitur diuinæ vocationi Illuſtriſſimus Antiſtes: honori diuinâ potiùs, & non humanâ ordinatione oblato, humeros non ſine cunctatione, ob innatam modeſtiam ſupponit: Diæceſimq; Cracouienſem, frequentibus Paſtorum ſuorum funeribus ſquallidam, recreat reficitq;. Et quidni reficeret? cui ſalus gregis commiſſi potior ſemper, quàm ſua commoditas habita eſt. Non ego, ſed Epiſcopa Culmenſis loquatur pro me: quæ cum ſibi diſpoſitione Dei obtigiſſet, quamuis publicis negotijs intentus, nullam tamen interponendam cenſuit moram, quin omnes eius perluſtraret defectus, & omnia ad regulam ſanctioris officij reuocaret. Longum eſſet recenſere,

ensére, quantùm laboris impendit, restituendo ad grauitatem & vitæ sanctimoniam Clero, euellendis è fidelium cætu variorum vitiorum monstris, tollendo execrabili, quà superstitionum, quà inanium obseruationum vsu: reducendis ad ouile Christi falaci doctrinâ irretitis & illaqueatis ouibus: reficiendo lætis & amænis verbi diuini pascuis, & limpidissimis æternæ beatitudinis fontib⁹ gregi: recuperãdis ædibus Religioni Catholicæ consecratis, & à spurcissimis prauitatis Hæreticæ sectatoribus occupatis: instillando vero & non apparenti diuini cultus amore: & non tantùm longùm, verùm fortassis etiã tædiosum, vobis præsertim audientibus, quib⁹ hæc luce clariùs meridianâ, ex ipso Episcopæ Cracouiensis regimine innotuerunt. Sed dum cætera vigilantiæ & curæ Pastoralis, in Illustrissimo Antistite prætermitto argumẽta; illius sanè Zeli, in vindicãdâ graui iniuriâ, imagini Christi in cruce pendentis, propè Racouiam illatâ, obliuisci non possum. Exhorrescit animus ad memoriam tam impij facinoris, mens stupet, lingua obmutescit, sensus officio suo fungi recusat; ne tam execrandi flagitij, vlla apud homines innouetur recordatio. Sed quandoqui-

 dem

dem vrgentibus grauiſsimis peccatorum noſtrorum ſarcinis, eò impietatis malitia, hoſtium Religionis Orthodoxæ prolapſa eſt; haud abs re futurum auguror, ſi vel per tranſennam attingatur, & pœnæ, promouente feruenter Illuſtriſſimo Antiſtite cauſam, quibus expiata eſt, ad deterrendos à ſimili ſcelere ſacrilego poſterorum animos proponantur. Rem prout gèſta eſt breuiter accipite. Erat propè ſentinam omnis perfidiæ, errorumq́; toto mundo damnatorum, Racouiã intelligo, Columna Chriſti in Cruce pendentis effigiem ſuſtinens: ad hanc cum ſcelerata iuuẽtus, præeũte impuriſſimo falſorũ de Deo Dogmatũ incentore acceſſiſſet; extemplò, proh facinus, venerandam Chriſti imaginem auellit, pedibus conculcat, & quod maximè dolendum, minutatim conciſam, diſiicit per agros vicinos, in ſummum Religionis Chriſtianæ opprobriũ. Colligunt pietate & reuerẽtiâ permoti, ſparſas per agros imaginis particulas fideles; ſcelus perpetratum Illuſtriſſimo Antiſtiti denunciant; & ne tàm impium facinus impunitum relinquatur, feruentiſſimè orãt & obteſtantur. Pupugit vehementer tàm grauis Deo illata, Illuſtriſſimum Antiſtitem, iniuria, neque permiſit

permisit quidquam temporis interponi, quominùs de atrocitate adeò nefandi criminis quamprimùm cognosceretur. Dat igitur extemplò negotium quibusdam ex suis domesticis, tum in vicinia manentibus vtriusq; status & conditionis viris fide dignis inquirendi, an cum veritate conueniat, pio affectu ductorum hominum delatio. Ac postquàm diligens inquisitio nefarij sceleris enormitatẽ comprobasset, doloris quem ex tàm detestabili, & plusquàm barbarâ crudelissimorum carnificum immanitate concepisset, Serenissimum Principem, vniuersumq; Senatum participem facit: grauia impendere Regno flagella admonet, ni tàm execrandi sceleris vltor existat. Non concessit vigilantisimo Pastori, in declaranda erga supremum numen pietate, Serenisimus Princeps; publico edicto hæredem, omnis impietatis etiã cum summo fortunarũ suarũ detrimẽto promotorẽ, in Comitijs generalib⁹ sistere se cogit; vtque citra moram, nunquam in Polonia auditæ immanitatis architecti extradantur, sub pœnis grauisimis mandat. Comparet in conspectu Principis, totiusq; Senatus, impudens & plenus mõstrosæ impietatis senex, patrocinio fidens, quod sibi,

à simili

á ſimili hominum fece pollicebatur. Agitatur cauſa diligenter in ſenatu: quæritur author orco ſuggeſtæ impietatis: producuntur firma & conuincentia perpetrati ſacrilegij documenta: dies ſtata ſententiæ ferendæ aſsignatur. Subolfecit bellua multorum capitum Hæreſis rigorem decreti: tranquillam Comitiorum faciem interturbare incipit: nec prius ſe ad ſtatuendum quidquam in rem communem acceſſuram proteſtata eſt, priuſquàm ſceleratus quiſquiliarum Racouienſium fautor abſolueretur. Reſtitit effrenatæ perſonatorum Ciuium, Illuſtriſsimus Antiſtes audaciæ & impudentiæ: maluit potius Rempublicā aliquod integritatis ſuæ detrimentum pati, quam permittere, vt crimen læſæ maieſtatis diuinæ, ſe Paſtore impunitum abiret. Fauit Sereniſſimus Rex, imò cunctus Senatus, pio cauſæ piiſsimæ promotori: edicto ſanxit publico, vt primo quoque tempore, illa blaſphemiæ latibula, perfidiæ receptacula, peſtiferæ Hæreſis ſeminaria eliminarentur. Exulat iam inde ſummo Dei beneficio, exitioſa mūdo Arrij doctrina: ſublata infelicis Socini deliramenta: obliuioni traditæ lethales Caluini inſtitutiones: conciliabula omnium errorū funditus euerſa

ipſ

ipſi ſcelerum artifices, ſuperſtitionum miniſtri, veræ fidei deſertores expulſi, non prius metu vitæ amittendæ ſoluti ſunt, donec in KISIELINO, Racouienſium quiſquiliarum aſyllo conſtitiſſent. Felicem appellauerim, vel eo nomine, Illuſtriſsimum Antiſtitem, quod ſtabulum illud, ſordibus multiplicis perfidiæ, à multo ſatis tempore inquinatum, ceu alter Hercules, expurgarit; & implantatis amæniſsimis Religionis Chriſtianæ ſurculis, in hortum, vario genere virtutum Dei auxilio paulò poſt aſpectabilem, commutarit. Sed diutius forſitan quàm debui, inani & impolito verborum ſtrepitu, veſtras aures patientiſsimas, videor mihi detinuiſſe. Quapropter ne moleſtus ſim, & ne paruâ naui videar maria velle emetiri, ad portum me recipiam, ſi breuiter, & ſuccinctè ſaltem illuſtria animi inclinatiſsimi, patrocinij præſentis, & beneficentiæ raræ, tum in Academiam, tum in Beatum Patrem noſtrum IOANNEM CANTIVM, Illuſtriſsimi Antiſtitis, argumenta commemorauero. • Iam verò in illis vel ſic recenſendis, quid primùm petam? aut unde potiſsimum exordiar? ſanè neſcio. Refricem ne memoriam, fædæ illius & ingentis procellæ, in

cymbam Iagellonianam excitatæ; quâ adeò iam premi visa est, vt nulla penitus spes, è tam vastis fluctibus emergendi, etiam illis superesset, quorum afflictæ res nostræ, singularem fauorem, & patrocinium sunt expertæ. At hæc, postquàm geminum Sydus, supra amplissimi Poloniarum Regni Horisontem, Serenissimus nimirum Rex, & Illustrissimus Antistes exortum est, ex vehementibus tempestatibus, & naufragio, ope Magni, Magnæ Nauis moderatoris erepta, in optatum portum, salua & incolumis se recepit. An liberalitatē & munificentiam, in eo exornādo loco, in quo plurima sibi, ad vitam laudabiliter transigendam, subsidia comparasset depraedicem? at hanc licet plurima ædificia magnifica, in rem Ecclesiæ & Reipub. splendidè sumptuoséq; varijs in locis erecta testabūtur, maximè tamē Contubernium Hierosolymitanum, in gratiam Nobilitatis Polonæ, non ita pridem reformatum, amplissimèq; dotatum; & gratissima memoria prosequetur, & debitis apud seram posteritatem celebrabit encomijs. Iuuentus hæc florentissima, hoc ver sacrum, hæc tenera futuri sæculi plātatio, postquàm in magnos Reipublicæ adoleuerit fructus, beneficij

memor

memor, tacebit nunquam; & moroso tantam beneficentiam, non permittet inobscurari silentio. Parentes ipsi, quorum tenuiores fortunæ, vitæ suæ honestiùs sustentandæ, nedum filijs alibi educandis, vix sufficerent, quas non rependent tam benefico Dotatori gratias; quibus parcent laboribus, vt Illustrissimi Antistitis nomen perpetuò mansuris inferant fastis? quod eo tempore ipsorum proli prouisum esse voluisset, cùm omnes propè omnium Patronorum fontes exaruisse viderentur. Quare non tantùm laudis, & immortalitatis, illos sibi comparasse facilè mihi persuadebo, quibus aureæ quondam statuæ erigebantur, aut quibus altissimæ columnæ, immensæ magnitudinis obelisci, exædificabantur; quantum Illustrissimum Antistitem, qui tot collocauit immobilia gloriæ suæ fundamenta, quot adolescentibus de suo peculio prospexit, qui in spem Patriæ succrescerent, & piissimi olim Antecessoris sui ZBIGNEI OLESNICII nomen, suumq; pariter, ab interitu & obliuione vindicarent. Sed quid ille metuat obliuionis, & ingratæ taciturnitatis potentiam, ad cuius immortalitatem nominis propagationem, homines Diuique consenserunt?

 Ipse

Ipſe Diuus noſter IOANES CANTIVS, ad cuius Aram, & Sacros Cineres, magis viſendū cæteris ab Illuſtriſſimo Antiſtite conſpicimus appenſum eſſe donarium: audimus frequenter pecuniam triginta millium florenorum, partim extruendo honeſtè ſacello, partim curandæ Canoniſationi deſtinatam, & numeratam: nunquid eius memoriam ab ingratâ taciturnitate non vindicabit? qui ſuam vitæ ſanctimoniam, vbiuis gentium, quàmprimùm claram fieri voluerit; nunquid non ſupplices hactenus ad Deum Optimum Maximum non fundebat preces, vt pius ſui cultor, piè ex hac vitâ exiret; & pro hoc munere temporaneo, cælo receptus, gloriam conſequeretur immortalem. Viuet; itaque ſemper Illuſtriſſimus Antiſtes noſter, in morituris nunquam virtutum promeritorumq; trophæis; viuet in memoriâ cariſſimæ Patriæ, nullâ temporis iniquitate obliterandâ; viuet in ædificijs honori Diuino, communique vſui ſumptuosè erectis; viuet in liberalitate & munificentiâ, in Eccleſias, egenos, D. Pâtrem noſtrum IOANNEM CANTIVM declaratâ; Viuet in ore Profeſſorum, inclytæ matris Academiæ, qui quàmdiu hæc ſubſellia, honoris & laboris

laboris plena occupabunt, tàmdiu Mecænatis amplissimi gloriosam instituent prædicationem; Viuet demum in consanguineo suo Perillustri & Admodum Reuerẽdo D. IOANNE ROMISZEWSKI, Præposito Lascensi, Scholastico Cracouiensi: quem vt feruentem virtutum suarum conspicimus imitatorem, ita honorum omnium, quibus gloriosè perfunctus est, & patrocinij in Academiam speramus fore successorem. Et viuet quidem Illustrissimus Antistes in intima memoria amicorum, quibus famam, nomen, decus immortale reliquit: sed pios illius Manes, iam heroica virtus, constantia, fortitudo, vitæ innocentia, ac Religio illibata, cæteraq; merita, preciosis gloriosa monumentis, in æternitatis Capitolium deduxerunt; vbi vera lux, certa salus, nullis concussa turbi-
binibus libertas, pax, quies, tranquillitas,
in Dei Optimi Max. visione beatâ,
in omnes sæculorum Myriades,
& vltra, & vltra, securè
conquiescunt.

DIXI.

Impensis ex fundatione perpetuâ
Magnifici Domini,
D. BARTHOLOMÆI
NOVODWORSKI,
Equitis Meliteñ. Ordinis S. Ioannis
Baptistæ Hierosolymitani, S.R.M. Au-
lici, & militiæ Præfecti, Commen-
datoris Posnaniensis,
excussum.

